

14  
11  
11  
11

194

194



L. VII 194



210/53

27 - 56



53.  
Parentalia,

*Quibus funus, nimis prematurum, &  
exequias luctuosas lepidissima  
puellula*

**ANNÆ-MARIÆ**

Eruditione, virtute, Humanitate  
præstantissimi viri,

**Dn. DAVIDIS VECHNERI**

**RECTORIS GYMNASII GORLICENSIS**

meritissimi, **FILIOLÆ** desideratissimæ,  
nondum trimulæ,

*A. O. R. 1639. d. 3. Febr. in hanc lucem, magno pa-  
rentum gaudio, immissa, sed A. 1641. d. 28. Martii,  
illucescente die Viridium, hor. 5. nempe matutinâ, ter-  
renæ lucis usurâ, majore eorundem dolore, privata,  
Et feriâ tertiâ Paschatos, Ecclesiâ Christi Salvatoris  
gloriosam è tumulo, resurrectionem, ejusq; memoriam  
celebrante, tumulo, in certâ resuscitationis spem, illata;  
In solatium mœstissimorum parentum, jam quinta fi-  
liolarum sed sexto liberorum, justâ persolvere, D E O, supremo  
vita humanae arbitro, ita volente, coactorum,*

**Amici, Compatres, Fautores, Collegæ, necessarii, justæ  
συμπάθειας & supremi honoris, τῆς μακαριότητος habendi, ergò,  
prosequi voluerunt.**

IDN 9046074



DAVID VON VON

STADT

OPERA

CHER

STADT

STADT

STADT

STADT

STADT

STADT

STADT

STADT





Clarissimo Doctissimoq̄;

VIRO

Dn. DAVIDI VECHNERO,

Gymnasij GORLICENSIS

Rectori dignissimo,

Parenti

Obitum Filiolæ ANNAE-MARIAE

acerbe lugenti,


AMICO

suo summo, his qualibuscunq̄;

Verbis se participem doloris esse,

vult ostendere

Georg Enderman.

uod Vechnere iterum properato funere pergit

Funestare tuam trux Libitina domum:

Tecum condoleo, tecum suspiria cordis

Ex imo duco pectore saepe meo.

Annos hic tantum te tres vixisse fatendum,

Amisisse tamen pignora trina tori.

Sed quæ causa fiet tanti nam vera rigoris

Sciscitor, ut tandem certior esse queam:

A 2

Nec



Nec tamen ulla magis constat quam *Dia* voluntas,  
Quâ sine nemo cadit, vivere nemo potest.  
Ergò tibi quæ *Iova* dedit sic ritè reposcit,  
Non tua, nec mea sunt, quicquid uterque tenet.  
Nec rigor ullus adest: nec sunt amissa, reposcit  
Fure suo omnipotens quæ sibi cunq; *DEUS*.  
Molliter ergo cubent precor hæc ut membra sepulchro  
Quæ præmisisti, pignora chara, suo;  
Venerit illa dies donec, qua cuncta resurgent,  
Quæ nunc terra sinu mortua clausa fovent.

AD JAIRUM GORLICENSEM.

**V**nica *JAIRUS* dum *Filia* mortua luget,  
Et poterat *CHRISTUS* quam dare querit opem.  
*JAIRO* in multis similis *VECHNERE*, tibi mens  
Quæ nunc? dum letho *Filia* quinta cadit.  
“Ludit in humanis *Sapientia* calice rebus:  
Quæ tibi lugenti sola medela manet.  
Natas ecce tuas sibi *Sponsas* *Christus* adornat;  
Proq; *Scholâ* *Natos* vult remanere tuos.

Condolent. & solat. c.

f. JOHANNES Hagendorf D.

ELEGI-



## ELEGIDION.

**I**d ne est in fatis? ut, tot *VECHNERE*; quot annos  
Hic vivis; natis funera penè pares!  
Expers primus iit tibi cuncti funeris annus:  
Turpavit reliquos sed Libitina tibi.  
Alter ab hoc etenim primâ Annam etate Mariam  
Evocat: Et patrias spes rapit ante diem.  
Tertius instabat: Lucina sinistra recusat  
Davidulum Solis cernere luce jubar.  
Quartus in ingressu est lugubris funere rursus:  
Altera quod moriens Anna Maria cupit:  
Anna Maria mihi pro-filia, filia nondum  
Tertia tibi, primo in flore pusilla cadit.  
Nempe DEO visum est sic insignire trienni  
Vel triplicis prolis tempora morte tui.  
Est, fateor; sperata tibi, sperataq; nobis  
Virginis ad justum hæc Anna Maria decus.  
Interne mentis lucebat ab ore venustas:  
Votum erat: hæc vivax filia quinta foret.  
Sed prævenit amor spes has, quatuorq; priores  
CHRISTI, qui voluit dignior esse procus.



Si decus excellens gener est grande: ecquis Olympi

Est melior Sponsis diuiter rege procus?

Ergo illi & libuit tædas celerare; priusquam

Alea fallacis sit jacienda soli.

Hujus, amor, V E C H N E R E, tuus concedat amori:

Nec talem amissam filiolarum esse dole.

Quin gaudes talem te natam habuisse: placeret

Quæ sponsi tanti, qui regit astra, toro.

Mos est vicinis; tædâ de cælite patri

Gratari: natis funera quando facit.

Absurdus lacrimis philostorgi ille esse videtur:

Sed CHRISTO addictis displicuisse nequit.

Nubere nam CHRISTO præstat: quàm extrema pericla

Quæ scætet hæc mundi lerna, pavere sibi.

Quare & tu luctum, Domine ò mi Compater, istum

Abjice: filiolarum quem tibi fata ferunt.

Optimè ei prospexisti: super æthera missa est:

Nos eadem excipiet tæda aliquando Polo.

Pro-pater optabam pro-nate: ut in axe sorores

Cernere præmissas non nisi amaret anus.

Ætatem explevit, pro more volentis IOVÆ:

Annis quod terris desit: id astra replent.

Hic



*Hic non Cumaos tua filia vixerit annos :  
Deget at aeternum, sed sine nocte, diem :  
Gaudia ubi regnant nullis cessantia seclis :  
Omnis quæ nostrum seria vota petunt.*

Domini Compatris sui dolori toto pectore  
συπαθῶν adjiciebat

*M. Martinus Mollerus.*

## Epigramma.

**F**estinata suæ gemeret cum funera Nata  
Vechnerus, Latio non semel ore potens.  
Dux cætus nostri Mollerus farier infit :  
Eheu! Vechneri filia quinta jacet.  
Illum respiciens Hassfurdus, ora resolvit,  
Delicium & Patris nunc amor, inquit, abit :  
Gebhardus Nata (licet hunc non prole beavit  
Ipse DEUS) teneræ tristia fata dolet :  
Accurrunt reliqui Collegæ Thesæus, Hoffman :  
Luctum testatur quilibet atq; suum.  
Tam tristem sortem deflent Sartorius atq;  
Michæus, patriæ pars benefida Scholæ.

*Ut*



*Ut taceam doctos homines, patriæ urbis & ipsos  
Patres, qui lugent funera filiola.  
Cum videas multos tecum, VECHNERE, dolere:  
Fas fuerit lacrymis exonerare genas.*

Condolentiæ testandæ causa.

S.

*M. Christoph Hassfurt.*

---

**F**iliolam ante diem Vechneri, occumbere morti  
Prestat: eam repetit, qui dedit ante, DEUS.  
Namq; fuit pignus tantum; haud tua propria nata:  
Scis verum dominum pignoris esse DEUM.  
Talia sunt equidem fidei commissa fidei  
Pignora: quæq; ipsi restituenda DEO.  
Illius quoniam, qui rem deponere suevit,  
Contractus tantum nomine factus erit.  
Quemq; hominum natura modum desiderat, omnes  
Prestant: qui culpa & fraude carere volunt.  
Redde igitur Dño: hoc, thalami inter pignora, pignus  
Prostremum: frustra, si revocetur, erit.  
Hinc de deposito Prætor concesserat olim  
Actori in duplum poscere iudicium.

*Ergo*



Ergò quid faciet pignus sibi Jova neganti,  
Qui cause Judex solus, & Actor erit?  
Illius esto memor: præmissa est filia; non est  
Amisssa in cœlis restituenda tibi.  
Cum jam de nata sit inanis facta parenti  
Spes tibi, detraxit quam fera Parca citò.  
Detraçtos illi, precor, ut Patris addat ad annos:  
Addere qui vitæ tempora longa potest.

tam consolationis, quam  
condolentia e. f.

Augustin. Ritter.

**F**lorea fertilibus redeunt nunc gramina campis,  
Arboribusq; venit, qui fuit antè, vigor.  
Cernis ruricola ut passim viridantibus agris  
Transplantet fœtus impiger arboreos;  
Non ut langvescant, sua sed quo brachia in auras  
Letius extendant fructificentq; magis.  
Sic, vir clare, tuam dilectam pectoris instar  
Gnatam cœlestis transtulit agricola  
Transtulit è sterili vitiorum labe notato  
Agro, stellantis lucida ad arva poli.

B

Hic



*Hic ubi jam vernat scelerosi criminis expertus  
Angelicos inter dia propago choros.*

*Felix, qui meruit minorennis regna perennis  
Vita, ac æterni scandere tecta patris.*

συμπάθειας ergo

f.

Paulus Gebhardus.

JOAN. SPINÆUS libro 7. de Tranquilli-  
tate Animi in metum mortis.

p. 407.

**L**IBERI gratissimi sunt Parentibus, si d. his ple-  
rumq; contingit, quod Magistratum & offi-  
ciorum emptorib; ut voluptas carissimè empta  
multis cum laboribus, curisq; in illis educandis,  
citò pereat, priusquàm duos, tresve annos eà  
potiantur, ac interdum antequàm in possessio-  
nem veniant.

**M**ater humus, Politevma Polus, tenera Orbe  
recedis,

De TE participant Terra, DEUSq; tuus!

Gregor I Cernit I, P. L. C.

Defunctæ



**D**efuncta fuerint Annæ qua verba Mariæ  
Ultima Filiola, nôstis uterq; Parens,  
Nempè: Satis, satis est. Vobis hæc voce supremum  
E mundo dixit mox abitura Vale.  
O benè, cui satis est vel vita brevissima; vestra  
Est ceu Filiola, cui sine fine satis!

Pio mœroris levandi adfectu deproper.

Andreas Thesius.

**E**cquid homo in terris? ecquid tentare laborat?  
Promittit vitam; aſt hospitis inſtar agit.  
Flos mollis, ros eſt, rapidi quem lumina Solis  
Exſiccant puncto: ſic perit ante diem.  
Non opus exemplis. Hæc blanda puellula mortis  
Falce reſectâ cadit, nec datur effugere.  
Et licet ætatis, ſenii quin nescia curvi:  
Attamen exſpirat, nil medicina valet.  
Ergò, Parens, parcas, nimium nunc exue luctum:  
Scis baud mutari, quod DEUS inſtituit:  
Cum quicquid natum, lumen vitale relinquat.  
Filia jam fruitur pace, dolore caret.  
Contegit oſſa ſolum: conſcendit ſpiritus alta:  
Felix, qui ſubito cœlica tecta capit!

Adfectus pii, & animi condolentis e. f.

DAVID SARTORIUS.

A 2

Tafel



**P**ascha monet lacrimas oculis prohibere, Parentes,  
Pascha meum perago Gnatula vestra polo.  
In lucem cecis transi vi è carceris umbris:  
Per mare luctificum semita facta mihi est.  
Quòd sum tincta sacro cœlestis rore cruoris:  
Non genii timeo flagra cruenta feri.  
Transivi in Solymæ cœlestis splendida rura,  
Quæ refuendo fluunt nectare & ambrosiâ:  
Illic post Pascham cum Paschate Pascha celebros:  
Et stellis nebulam fulgida spargo poli.

Observantiæ debitæ  
ergò fecit

Christophorus Richter.

**C**eu botrus virides autumnis tempore vites,  
Sic vestrum ornabat parvula nata torum.  
Cui dum venturos Mater meditatur honores,  
Et Pater ad morem dux cupit esse bonum:  
Mors interveniens, honor est, ait, orbis inanis:  
Nec cuiquam in mundo nunc licet esse probo.  
In mea concedat paucillum regna, tenebit  
Inde poli sedes, Angelicumq; decus.  
Est benè, respondet Genitor: dolet at tamen, eheu!  
Quod nimium crudâ morte perempta jacet.

Credo.



*Credo, Magne Parens, quod Te dolor iste fatiget:  
Sed tamen haut aequum est longius huncce sequi.  
Tàm sevos inter Martis bellig, tumultus  
Vita quid hac dici mors nisi lenta potest.  
Felix, quem placidi poscit clementia fati,  
Quàm sentire valet, quæ mala mundus habet.*

Debitæ observantiæ & συμπαθείας  
testandæ gratiâ appon.

Martinus Cramerus,

**Χ**άρματα εἰς τὸ παρὸν παλλοῖ μὲν πολλὰ ἔχουσιν.  
"Αλγὴ Τύνη ἔχεις, ὦ πολίτιμε Πάτερ!  
"Οτὶ πάλιν θάνατ' & Φονικός σεο οἶκον ἔσῃ λθεν  
Καὶ κλέψεν πατρίδ' ἤτορ' & ἄλλο μέρ' &.  
"Αλλὰ λίαν ταλανιζέμενα οὐκ ἔσι δίκαιον.  
Τοῖς ἀπὸ μᾶ γὰρ τέκνα γονεῦσι θεός.  
Κύρι' & οἱ & ἔδωκεν, ὁ κύρι' & οἱ & αἶρει·  
"Οὕτως ἐν ἔσω Κυρίῳ ὡς δοκέει.

Observantiam in Præceptorem  
testaturus scrib.

Melchior Huckelius Cros. Sil.

**C**ur mors sevarapis multos telluris alumnos?  
Cur tu es filiolis parcere falce nequis?  
Ut probat exemplo Vechneri filia chara,  
Cujus tu vitæ rumpere fila petis.

B 3

Tunc



*Tunc putas tumulto nunc banc retinere sub ipso?*

*Erras. Nam Christus vi tua regna domat,  
Ac istam transfert stellantis ad ætheris arcem,  
Ac inter cœli sidera clara locat.*

*Mors igitur fugias, fugias sub Tartaris undas:  
Nam tua non nobis spicula seva nocent.*

*Tu tantum es somnus dulcis, requiesq; beata:  
Ac nobis aditum ad calicæ tectæ facis.*

Condolentiæ & observantiæ ergo  
scripsit

Georgius Heldreich.

**E**t tu sub teneræ primævo flore juventa,  
ANNA-MARIA cadis, Vechneri filia cara,  
Vechneri, nostri moderantis regna, Lycei,  
Atq; caput tenerum feralibus occulis umbris.  
Heu, quàm vita fugax, prorsusq; evanida terris,  
Degitur! ut nulli veniam dant spicula mortis,  
Spes elidentis magnas florentibus annis!  
Non roseæ te frontis bonos, qui purpurat ora,  
Non cari Doctrina patris: quâ fulget in urbe,  
Non probitas matris potuit discrimina lethi  
Eripuisse? jaces sine sensu, heu! triste cadaver  
Extorquens lachrymas, fletusq; parentibus ipsis.  
At quid proficiunt lachrymæ, super ora cadentes:

Ibimus



Ibimus, hinc omnes, it primus, & ultimus ordo.  
Quotquot humo nati, tot humo debentur humandi:  
Mors tantum vera est cœlestis janua vitæ.  
Vos ergò lachrymas, fletusq; inhibete parentes,  
Parte sui meliore viget nunc ANNA-MARIA,  
ANNA-MARIA malis erepta, & mille periclis,  
Quæ nos expectant. Ea vivit in ætheris aula,  
Et pulsis tenebris, cernit jam luce Tonantem,  
Fucundoq; illum collaudat carmine, cives  
Inter signatos precioso sanguine Christi.

Christophorus Fridericus Nicius,  
Scholæ GorL. alumnus.

**A**b quid, chare Pater, tantum mea funera plangis?  
Totaq; quid Mater solveris in lacrymas?  
En equidem vestri solamen dulce, Parentes  
Cordis, & eximie Jaspidis instar eram.  
Me sed in Elysium CHRISTUS citò transtulit hortum.  
Fulgeo nunc in quo Jaspide splendidior.  
A vobis, ascripta DEO Anna Maria vocabar;  
Mustea quod Nomen, quod quoq; acerba notat.  
Hinc mihi viventi proprium prestare fuisset,  
Ut biberem vitæ dulcia, amara simul.  
Sed quod amaritiam sapiat procul omne remotum est:  
Angelicos dum inter letor ovoq; choros.

Detersis



*Deterfis igitur lacrymis spem mente locatam  
Conventus alio semper habete loco:  
Nunc ubi cum quatuor sum nempe sororibus, uno &  
Fratre coaternâ prosperitate fruens.*

*Godfrid Colerus.*

*Dum tepidi veris redeuntia tempora, campis  
Gramina restitunt, arboribusq; comas.  
Filia VECHNERI cadit atro funere mersa,  
Ut tener immiti flosculus ungue cadit.  
Credibile est, multum inde parentibus esse dolorem:  
Cui tamen hâc etiam sit medicina via:  
Quod quo per placidam translata est filia mortem,  
Illic nulla locum crux, dolor, angor, habet.*

*Zacharias Schliker Sprot: Sil?*

*Nesic indulge lacrymis suavissima Mater:  
Nec tristi luge pectore chare Pater!  
Consilium, Jovæ est, quod me solamen ocellis  
Vestris, de subitò mors fera falce tulit:  
Non equidem vobis solamina suggero: namq;  
Vos consolari nostis uterq; satis:  
Utpote qui Christum me scitis in ætheris arce  
Angelicis jam nunc associasse choris.*

*Christophorus Schmidius.*

*F I N I S.*







Oberlausitzische Bibl. Görlitz



1006923 3